

sione est ejus intelligentia: unde sequitur quod omnia quaecumque intelligit, simul intelligat; et iterum, quod nihil de novo intelligat; intellectus enim de novo aliquid intelligens, prius fuit intelligens in potentia. Inde etiam patet quod intellectus ejus non discursive intelligit, ut ex uno in cognitionem alterius deveniat, sicut¹ intellectus noster ratiocinando patitur. Discursus enim talis in intellectu est, dum ex noto pervenimus in cognitionem ignoti, vel ejus quod prius actu non considerabamus: quae in intellectu divino accidere non possunt.

CAPUT XXX.

Quod Deus non intelligit per aliam speciem, quam per essentiam suam.

Patet etiam ex praedictis, quod Deus non intelligit per aliam speciem quam per essentiam suam.

Omnis enim intellectus intelligens per speciem aliam a se, comparatur ad illam speciem intelligibilem sicut potentia ad actum; cum species intelligibilis sit perfectio ejus, faciens ipsum intelligentem actu. Si igitur in Deo nihil est in potentia, sed est actus purus; oportet quod non per aliam speciem, sed per essentiam suam intelligat; et inde sequitur quod directe et principaliter se ipsum intelligat. Essentia enim rei non ducit proprie et directe in cognitionem alicujus, nisi ejus cujus est essentia: nam per definitionem hominis proprie cognoscitur homo, et per definitionem equi, equus. Si igitur Deus est per essentiam suam intelligens, oportet quod id quod est intellectum ab eo directe et principaliter, sit ipse Deus: et cum ipse sit sua essentia, sequitur quod in eo intelligens et quo intelligit et intellectum sint omnino idem.

CAPUT XXXI.

Quod Deus est suum intelligere.

Oportet etiam quod ipse Deus sit suum intelligere. Cum enim intelligere sit actus secundus, ut considerare (primus enim actus est intellectus vel scientia); omnis intellectus qui non est suum intelligere, comparatur ad suum intelligere, sicut potentia ad actum. Nam semper in ordine potentiarum et actuum

¹ Al. sic.

quod est prius, est potentiale respectu sequentis, et ultimum est completivum, loquendo in uno et eodem, licet in diversis sit e converso: nam movens et agens comparatur ad motum et actum, sicut agens ad potentiam. In Deo autem, cum sit actus purus, non est aliquid quod comparetur ad alterum sicut potentia ad actum. Oportet ergo quod ipse Deus sit suum intelligere.

Item. Quodammodo comparatur intellectus ad intelligere sicut essentia ad esse. Sed Deus est intelligens per essentiam; essentia sua est suum esse. Ergo ejus intellectus est suum intelligere; et sic per hoc quod est intelligens, nulla compositio in eo ponitur, cum in eo non sint aliud intellectus, intelligere, et species intelligibilis: et haec non sunt aliud quam ejus essentia.

CAPUT XXXII.

Quod oportet Deum esse volentem.

Ulterius autem manifestum est quod necesse est Deum esse volentem. Ipse enim se ipsum intelligit, qui est bonum perfectum, ut ex dictis patet. Bonum autem intellectum ex necessitate diligitur. Hoc autem fit per voluntatem. Necesse est igitur Deum volentem esse.

Item. Ostensum est supra, quod Deus est primum movens. Intellectus autem non utique movet nisi mediante appetitu; appetitus autem sequens intellectum, est voluntas. Oportet igitur Deum esse volentem.

CAPUT XXXIII.

Quod ipsam Dei voluntatem oportet nihil aliud esse, quam ejus intellectum.

Patet autem quod oportet ipsam Dei voluntatem nihil aliud esse quam ejus intellectum. Bonum enim intellectum, cum sit objectum voluntatis, movet voluntatem, et est actus et perfectio ejus. In Deo autem non differt movens et motum, actus et potentia, perfectio et perfectibile, ut ex superioribus patet. Oportet igitur voluntatem divinam esse ipsum bonum intellectum. Idem autem est intellectus divinus et essentia divina. Voluntas igitur Dei non est aliud quam intellectus divinus et essentia ejus.

Item. Intra alias perfectiones rerum praecipuae sunt in-

tellectus et voluntas; cujus signum est quod inveniuntur in rebus nobilioribus. Perfectiones autem omnium rerum sunt in Deo unum, quod est ejus essentia, ut supra ostensum est. Intellectus igitur et voluntas in Deo sunt idem, quod ejus essentia.

CAPUT XXXIV.

Quod voluntas Dei est ipsum ejus velle.

Hinc etiam patet quod voluntas divina est ipsum velle Dei. Ostensum est enim, quod voluntas in Deo est idem quod bonum volitum ab ipso. Hoc autem esse non posset, nisi velle esset idem quod voluntas; cum velle insit voluntati ex volito. Est igitur Dei voluntas suum velle.

Item. Voluntas Dei idem est quod ejus intellectus et ejus essentia. Intellectus autem Dei est suum intelligere, et essentia est suum esse. Ergo oportet quod voluntas sit suum velle; et sic patet quod voluntas Dei simplicitati non repugnat.

CAPUT XXXV.

Quod omnia supradicta uno fidei articulo comprehenduntur.

Ex his autem omnibus quae praedicta sunt, colligere possumus, quod Deus est unus, simplex, perfectus, infinitus, intelligens et volens. Quae quidem omnia in Symbolo fidei brevi articulo comprehenduntur, cum nos profiteamur credere "in Deum unum omnipotentem." Cum enim hoc nomen "Deus," a nomine graeco quod dicitur "theos," dictum videatur, quod quidem a "theaste," dicitur, quod est videre vel considerare; in ipso Dei nomine patet quod sit intelligens, et per consequens volens. In hoc autem quod dicimus eum "unum," excluditur et deorum pluralitas, et omnis compositio: non enim est simpliciter unum nisi quod est simplex. Per hoc autem quod dicimus, "omnipotentem," ostenditur quod sit infinitae virtutis, cui nihil subtrahi possit; in quo includitur quod sit et infinitus et perfectus: nam virtus rei perfectionem essentiae consequitur.

CAPUT XXXVI.

Quod haec omnia a Philosophis posita sunt.

Haec autem quae in superioribus de Deo tradita sunt, a pluribus quidem gentilium Philosophis subtiliter considerata

sunt, quamvis nonnulli eorum circa praedicta erraverint: et qui in iis verum dixerunt, post longam et laboriosam inquisitionem ad veritatem praedictam vix pervenire potuerunt. Sunt autem et alia nobis de Deo tradita in doctrina christianae religionis, ad quam pervenire non potuerunt, circa quae secundum christianam fidem ultra humanum sensum instruimur. Est autem hoc: quod cum sit Deus unus et simplex, ut ostensum est, est tamen Deus pater, et Deus filius, et Deus spiritus sanctus, et ii tres non tres dii, sed unus Deus est; quod quidem, quantum possibile nobis est, considerare intendimus.

CAPUT XXXVII.

Qualiter ponatur verbum in divinis.

Accipiendum autem est ex his quae supradicta sunt, quod Deus se ipsum intelligit et diligit: item quod intelligere in ipso et velle non sit aliud quam ejus esse. Quia vero Deus se ipsum intelligit, omne autem intellectum in intelligente est; oportet Deum in se ipso esse sicut intellectum in intelligente. Intellectum autem prout est in intelligente, est verbum quoddam intellectus: hoc enim exteriori verbo significamus quod interius in intellectu comprehendimus: sunt enim, secundum Philosophum, voces signa intellectuum. Oportet igitur in Deo ponere verbum ipsius.

CAPUT XXXVIII.

Quod verbum in divinis conceptio dicitur.

Id autem quod in intellectu continetur, ut interius verbum, ex communi usu loquendi conceptio intellectus dicitur. Nam corporaliter aliquid concipi dicitur quod in utero animalis viventis vivifica virtute formatur, mare agente, et femina patiente, in qua fit conceptio; ita quod ipsum conceptum pertinet ad naturam utriusque quasi secundum speciem conforme. Quod autem intellectus comprehendit, in intellectu formatur, intelligibili quasi agente, et intellectu quasi patiente: et ipsum quod intellectu comprehenditur, intra intellectum existens, conforme est et intelligibili moventi, cujus quaedam similitudo est, et intellectui quasi patienti, secundum quod esse intelligibile habet. Unde id quod intellectu comprehenditur, non immerito conceptio intellectus vocatur.

CAPUT XXXIX.

Quomodo verbum comparatur ad patrem.

In hoc autem consideranda est differentia. Nam cum id quod intellectu concipitur, sit similitudo rei intellectae, ejus speciem repraesentans; quaedam proles ipsius esse videtur. Quando igitur intellectus intelligit aliud a se, res intellecta est sicut pater verbi in intellectu concepti; ipse autem intellectus magis gerit similitudinem matris, cujus est ut in ea fiat conceptio. Quando vero intellectus intelligit se ipsum, verbum conceptum comparatur ad intelligentem sicut proles ad patrem. Cum igitur de verbo loquamur secundum quod Deus se ipsum intelligit, oportet quod ipsum verbum comparetur ad Deum, cujus est verbum, sicut filius ad patrem.

CAPUT XL.

Quomodo intelligitur generatio in divinis.

Hinc est quod in regula catholicae fidei, patrem et filium in divinis confiteri docemur, cum dicitur: "Credo in Deum Patrem et Filium ejus." Et ne aliquis audiens nomen patris et filii, carnalem generationem suspicaretur, secundum quam apud nos pater dicitur et filius; Joannes Evangelista, cui revelata sunt secreta caelestia, loco filii ponit verbum, ut generationem intelligibilem cognoscamus.

CAPUT XLI.

Quod verbum, quod est Filius, idem esse habet cum Deo Patre, et eandem essentiam.

Considerandum est autem, quod cum in nobis sit aliud esse naturale et intelligere, oportet quod verbum in nostro intellectu conceptum, quod habet esse intelligibile tantum, alterius naturae sit quam intellectus noster, qui habet esse naturale. In Deo autem idem est esse et intelligere. Verbum igitur Dei quod est in Deo, cujus verbum est secundum esse intelligibile, idem esse habet cum Deo, cujus est verbum. Et per hoc oportet quod sit ejusdem essentiae et naturae cum ipso, et quod omnia quaecumque de Deo dicuntur, verbo Dei conveniant.

CAPUT XLII.

Quod catholica fides haec docet.

Et inde est quod in regula catholicae fidei docemur confiteri Filium "consubstantialem Patri;" per quod duo excluduntur. Primo quidem ut non intelligatur Pater et Filius secundum carnalem generationem, quae fit per aliquam decisionem substantiae filii a patre, ut sic oporteat Filium non esse Patri consubstantialem. Secundo ut etiam non intelligamus Patrem et Filium secundum generationem intelligibilem; prout verbum in mente nostra concipitur, quasi accidentaliter superveniens intellectum, et non de ejus essentia existens.

CAPUT XLIII.

Quod in divinis non est differentia Verbi a Patre secundum tempus, vel speciem, vel naturam.

Eorum autem quae in essentia non differunt, impossibile est esse differentiam secundum speciem, tempus et naturam. Quia ergo Verbum Patri est consubstantiale, necesse est quod secundum nihil dictorum a Patre differat.

Et quidem secundum tempus differre non potest. Cum enim hoc verbum in Deo ponatur per hoc quod Deus se ipsum intelligit, sui verbum intelligibile concipiendo, oportet quod si aliquando Dei verbum non fuit, quod tunc Deus se ipsum non intellexerit. Semper autem quando Deus fuit, se intellexit, quia ejus intelligere est ejus esse. Semper ergo et verbum ejus fuit: et ideo in regula catholicae fidei dicimus: "Ex Patre natum ante omnia saecula."

Secundum speciem etiam est impossibile verbum Dei a Deo quasi minoratum differre, cum Deus se ipsum non minus intelligat quam sit. Verbum autem perfectam speciem habet: quia id cujus est verbum, perfecte intelligitur. Oportet igitur Dei verbum omnino perfectum secundum speciem Divinitatis esse. Inveniuntur autem quaedam quae ex aliis procedunt, perfectam eorum speciem non consequi, ex quibus procedunt. Uno modo sicut in generationibus aequivocis: a sole enim non generatur sol, sed quoddam animal. Ut ergo talis imperfectio a generatione divina excludatur, confitemur natum "Deum de Deo." Alio modo quod procedit ex aliquo, differt ab eo propter defectum puritatis; dum scilicet ab eo quod est in se simplex et purum, per applicationem ad extraneam materiam ali-

quid producit a prima specie deficiens; sicut ex domo quae est in mente artificis, fit domus quae est in materia; et a lumine recepto in corpore terminato, fit color; et ex igne adjuncto aliis elementis, fit mixtum; et ex radio per oppositionem corporis opaci, fit umbra. Ut hoc ergo a divina generatione excludatur, additur "lumen de lumine." Tertio modo quod ex aliquo procedit, non consequitur speciem ejus propter defectum veritatis quia scilicet non vere recipit ejus naturam, sed quamdam ejus similitudinem tantum; sicut imago in speculo vel sculptura, aut etiam similitudo rei in intellectu vel sensu: non enim imago hominis dicitur verus homo, sed similitudo; nec lapis est anima, ut dicit Philosophus, sed species lapidis. Ut igitur haec a divina generatione excludantur, additur: "Deum verum de Deo vero."

Secundum naturam etiam impossibile est verbum a Deo differre, cum hoc sit Deo naturale quod se ipsum intelligat. Habet enim omnis intellectus aliqua quae naturaliter intelligit, sicut intellectus noster habet prima principia. Multo ergo magis Deus, cujus intelligere est suum esse, se ipsum naturaliter intelliget. Verbum ergo ipsius naturaliter ex ipso est, non sicut ea quae praeter naturalem originem procedunt, ut a nobis procedunt res artificiales, quas facere dicimur. Quae vero naturaliter a nobis procedunt, dicimur generare, ut filius. Ne igitur Dei verbum non naturaliter a Deo procedere intelligatur, sed secundum potestatem suae voluntatis, additur: "Genitum, non factum."

CAPUT XLIV.

Conclusio ex praemissis.

Quia ergo, ut ex praemissis patet, omnes praedictae divinae generationis conditiones ad hoc pertinent quod filius est patri consubstantialis, ideo post omnia subjungitur quasi summa universorum: "Consubstantialem Patri."

CAPUT XLV.

Quod Deus est in se ipso sicut amatum in amante.

Sicut autem intellectum est in intelligente in quantum intelligitur, ita et amatum esse debet in amante in quantum amatur. Movetur enim quodammodo amans ab amato quadam intrinseca motione. Unde cum movens contingat id quod movetur, necesse est amatum intrinsecum esse amanti. Deus

autem sicut intelligit se ipsum, ita necesse est quod se ipsum amet: bonum enim intellectum secundum se amabile est. Est igitur Deus in se ipso tamquam amatum in amante.

CAPUT XLVI.

Quod amor in Deo dicitur spiritus.

Cum autem intellectum sit in intelligente, et amatum in amante, diversa ratio ejus quod est esse in aliquo, utrobique consideranda est. Cum enim intelligere fiat per assimilationem aliquam intelligentis ad id quod intelligitur, necesse est id quod intelligitur, in intelligente esse, secundum quod ejus similitudo in eo consistit. Amatio autem fit secundum quamdam motionem amantis ab amato: amatum enim trahit ad se ipsum amantem. Igitur non perficitur amatio in similitudine amati, sicut perficitur intelligere in similitudine intellecti; sed perficitur in attractione amantis ad ipsum amatum. Traductio autem similitudinis principalis fit per generationem univocam, secundum quam in rebus viventibus generans pater, et genitus filius nominatur. In eisdem etiam prima motio fit secundum speciem. Sicut igitur in divinis modus ille quo Deus est in Deo ut intellectum in intelligente, exprimitur per hoc quod dicimus filium, qui est verbum Dei; ita modum quo Deus est in Deo sicut amatum in amante exprimimus per hoc quod ponimus ibi spiritum, qui est amor Dei: et ideo secundum regulam catholicae fidei credere in Spiritum jubemur.

CAPUT XLVII.

Quod spiritus, qui est in Deo, est sanctus.

Considerandum est autem, quod cum bonum amatum habeat rationem finis; ex fine autem motus voluntarius bonus vel malus reddatur; necesse est quod amor quo ipsum summum bonum amatur, quod Deus est, eminentem quamdam obtineat bonitatem, quae nomine sanctitatis exprimitur; sive dicatur sanctum quasi purum, secundum graecos, quia in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis: sive dicatur sanctum, id est firmum, secundum Latinos, quia in Deo est immutabilis bonitas: propter quod omnia quae ad Deum ordinantur, sancta dicuntur, sicut templum et vasa templi, et omnia divino cultui mancipata. Convenienter igitur spiritus, quo nobis insinuat amor quo Deus se amat, Spiritus sanctus nominatur. Unde et regula catholicae fidei spiritum praedictum nominat sanctum, cum dicitur "Credo in Spiritum sanctum."

CAPUT XLVIII.

Quod amor in divinis non importat accidens.

Sicut autem intelligere Dei est suum esse, ita et ejus amare. Non igitur Deus amat se ipsum secundum aliquid suae essentiae superveniens, sed secundum suam essentiam. Cum igitur amet seipsum secundum hoc quod ipse in se ipso est ut amatum in amante, non est Deus amatus in Deo amante per modum accidentalem, sicut et res amatae sunt in nobis amantibus accidentaliter; sed Deus est in se ipso ut amatum in amante substantialiter. Ipse ergo Spiritus sanctus, quo nobis insinuat divinus amor, non est aliquid accidentale in Deo, sed est res subsistens in essentia divina, sicut Pater et Filius. Et ideo in regula catholicae fidei ostenditur coadorandus, et simul glorificandus cum Patre et Filio.

CAPUT XLIX.

Quod spiritus sanctus a Patre Filioque procedit.

Est etiam considerandum, quod ipsum intelligere ex virtute intellectus procedit. Secundum autem quod intellectus actu intelligit, est in ipso id quod intelligitur. Hoc igitur quod est intellectum esse in intelligente, procedit ex virtute intellectiva intellectus, et hoc est verbum ipsius, ut supra dictum est. Similiter etiam id quod amatur est in amante secundum quod amatur actu. Quod autem aliquid actu ametur, procedit et ex virtute amativa amantis, et ex bono amabili intellectu. Hoc igitur quod est amatum esse in amante, ex duobus procedit: scilicet ex principio amativo, et ex intelligibili apprehenso, quod est verbum conceptum de amabili. Cum igitur in Deo se ipsum intelligente et amante verbum sit filius; is autem cujus est verbum, sit verbi pater, ut ex dictis patet; necesse est quod Spiritus sanctus, qui pertinet ad amorem, secundum quod Deus in se ipso est ut amatum in amante, ex Patre procedat, et Filio: unde et in Symbolo dicitur: "Qui ex Patre Filioque procedit."

CAPUT L.

Quod in divinis trinitas personarum non repugnat unitati essentiae.

Ex omnibus autem quae dicta sunt, colligi oportet, quod in Divinitate quemdam trinarium ponimus, qui tamen unitati

et simplicitati essentiae non repugnat. Oportet enim concedi Deum esse ut existentem in sua natura, et intellectum et amatum a se ipso. Aliter autem hoc accidit in Deo et in nobis. Quia enim in sua natura homo substantia est; intelligere autem et amare ejus non sunt ejus substantia: homo quidem, secundum quod in natura sua consideratur, quaedam res subsistens est: secundum autem quod est in suo intellectu, non est res subsistens, sed intentio quaedam rei subsistentis; et similiter secundum quod est in se ipso ut amatum in amante. Sic ergo in homine tria quaedam considerari possunt: idest homo in natura sua existens, et homo in intellectu existens, et homo in amore existens; et tamen hi tres non sunt unum, quia intelligere ejus non est ejus esse, similiter autem et amare: et horum trium unus solus est res quaedam subsistens, scilicet homo in natura sua existens. In Deo autem idem est esse, intelligere, et amare. Deus ergo in esse suo naturali existens, et Deus existens in intellectu, et Deus existens in amore suo, unum sunt; unusquisque tamen eorum est subsistens. Et quia res subsistentes in intellectuali natura personas latini nominare consueverunt, graeci vero hypostases, propter hoc in divinis latini dicunt tres personas, graeci vero tres hypostases, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum.

CAPUT LI.

Quomodo videtur esse repugnantia trinitatis personarum in divinis.

Videtur autem ex praedictis repugnantia quaedam suboriri. Si enim in Deo ternarius aliquis ponitur; cum omnis numerus divisionem consequatur, oportebit in Deo aliquam differentiam ponere, per quam tres ab invicem distinguantur: et ita non erit in Deo summa simplicitas. Nam si in aliquo tres conveniunt et in aliquo differunt, necesse est ibi esse compositionem; quod superioribus repugnat. Rursus si necesse est esse unum solum Deum, ut supra ostensum est; nulla autem res una oritur vel procedit a se ipsa; impossibile videtur quod sit Deus genitus, vel Deus procedens. Falso igitur ponitur in divinis nomen patris et filii, et spiritus procedentis.

CAPUT LII.

Solutio rationis: et quod in divinis non est distinctio nisi secundum relationes.

Principium autem ad dissolvendum hanc dubitationem, hinc sumere oportet, quia secundum diversitatem naturarum est in